



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Series Episcoporum Archiepiscoporum Et Electorum  
Moguntinorum, Trevirensium Et Coloniensium**

**Kolb, Gregor**

**Rottwilae, 1725**

**VD18 12054054**

XIII. Fridericvs.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64326](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64326)

## XIII. FRIDERICVS.

**F**ridericus Lotharingæ Dux Gifelberti Ducis frater non minus, quàm Antecessores Archipræsules ex Fuldensi Episcoporum multorum seminario fertilissimo evocatus, suis præclaris facinoribus Moguntinum solium exornavit, hoc uno ferè ex capite à multis reprehensus, ab aliis nequaquam inventus reus, quòd Ottonis Imperatoris & affinis sui partes, cuius tamen beneficio Moguntia Præsul electus fuisset, unà cum aliis Viris Principibus oppugnasset, præsertim cum Brisaci per magnam anni partem prædiarios inter milites sedisset, animò Cæsari vim inferendi. Fridericum hunc nempe adversus Imperatorem irritavit primò Gifelbertus frater, Ottonis M. sororius, Gerbertæ Henrici Aucupis filiaæ conjux, qui Rheni fluctibus an. 939. haustus, ingentem animi moerorem fratri Archipræsuli reliquit. Inde simultatem in Archiepiscopi animo fovebant Henricus frater Imperatoris, Bojorum Dux, cui consilia & auxilia junxit Ludolphus filius Suevorum Dux, secundas Augusti genitoris cum Adeltaide nuptias detestatus. Imperator itaque, fortassis haud immeritò, etiam Friderico iratus maximè, hunc Moguntia Fuldam redire compulit, sed & sedi pristinae restitui curavit teste *Rheginone, Rotgero, Trithemio, Serario.* Annis sedit 15.

## XIV. GVILIELMVS.

**G**uilielmus Ottonis M. filius an ætatis suæ 24. in Moguntia Antistitem annitente plurimùm Augusto genitore, & anuente Pontifice electus, à S. Brunone Colonienfi Archipræsule patruo suo fuit consecratus. Annis dein tribus elapsis Ludolphum in Italia defunctum luxit, & huius exuvias in Germaniam relatas, in D. Albani templo sepelivit. Fratrem alterum Ottonem ex Adeltaide noverca natum, & an. 961. in Imperij Regem electum, atque à magno parente sibi creditum, Wil-

D 2

helmus